

PROOEMIUM IN LIBRUM
QVI CONTINET ORDINEM ET
CONSTITUTIONEM MINISTERII

Ecclesiastici in Anglia, conuersum in Latinum de sermone Anglico.



CONVERSIS MVLTORVM ANIMIS ad studium & curam uerae pietatis & religionis, Interea dum alij irascuntur, alij litigant, alij rebus commotis amplius etiam turbant, necessario fit, ut non modo doctrinae puritas fideliter custodiatur, sed ut status etiam Ecclesiae diligenter ordinetur. Vt enim deprava-

uatio dogmatum totam rem Ecclesiasticam labefactat: Ita confusio administrationis, illam deformat, & doctrinam quoque aut obscurat aut peruertit. Habemus autem tam de conseruanda & tuenda ueritate doctrinae, quam honestate & ordine, mandata uerbi Dei, quibus Christianos non parere uelle, nullo modo est ferendum. Paulus scribens Collossensibus ait: Hoc dico, ne quis uos decipiat sermone probabili. Etsi enim carne absum, spiritu tamen uobiscum sum, gaudens & aspiciens ordinem uestrum, & firmamentum fidei in Christum uestrae. Quemadmodum igitur accepistis Christum Iesum Dominum, ita in illo ambulate, radicibus iactis, & augefcente edificio uestro in ipso, & stabiles in fide, sicut edocti estis, abundantes in illa cum gratiarum actione. Videte ne quis uos deprædetur per philosophiam & inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum clementa mundi, & non secundum Christum, & cætera. Prima igitur esse debet cura dogmatum, quæ est cognitio & scientia ueritatis cœlestis, cuius Magister & doctor est Filius Dei, qui de sinu Patris hanc doctrinam protulit, quam corrumpi aut inquinari ab hominibus Ecclesia Dei non patitur, hæc est enim columna & fundamentum ueritatis, siue sapientia illam impetat, seu audacia oppugnet. Suntq; cum hac coniunctæ obseruationes quædam perscriptæ & mandata uerbo Dei, & cum doctrina fidei inseparabiliter copulatæ, quæ Sacramenta nominantur. In his igitur non concedendum est ingenio & industriae humanae, ut quicquam iuris sibi uendicet, sed ut dogma-

A ij

tis rea